



Disputatio juridica inauguralis de societate

<https://hdl.handle.net/1874/341861>

20

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
SOCIETATE,

QUAM
FAVENTE DEO OPT. MAXIMO
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,
D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclita Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Alma
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in **UTROQUE JURE** honoribus & Privilegiis
ritè, ac legitime consequendis,
Eruditorum subjicitur examini

NICOLAUS SCHAGHEN, Alcm. Bat.
Ad diem 5. Januarii, loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA,** Academiæ
Typographi, cl^o Id^o Lxxxvii.

VIRIS AMPLISSIMIS GRAVISSIMIS

D. GUILIELMO
B O S C H, J C^{TO}.

URBIS ALCMARIÆ SENATORI, NUPER
SCABINORUM PRÆSIDI, NUNC VERO
ÆRARIJ PUBLICI QUÆSTORI, &c. PATRUI
SUO.

D. ADRIANO
SCHAGHEN, J C^{TO}.

EJUSDEM URBIS CONSULI ET SENATO-
RI, REDITUM TERRITORII VERONEN-
SIS QUÆSTORI, &c. COGNATO SUO.

UT ETIAM

DOCTISSIMO ET CONSULTISSIMO
V I R O,

D. LUCÆ vande POLL, J C^{TO}.
ET IN ACADEMIA ULTRAJECTINA JU-
RIS UTRIVSQUE PROFESSORI CELEBER-
RIMO.

*Hanc Disputationem Inauguralem Debita Ob-
servantia monumentum*

Offert & Inscibit

NICOLAUS SCHAGHEN, A. & R.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
SOCIETATE.
THESIS I.



Icet de juris quâdam materia disputaturo nihil magis conveniat, quam in ipso limine vocis tradere derivationem, attamen, hoc loco eam, tanquam per se claram, silentio præteribo, & statim ad ipsam rei definitionem me accingam; quia omnis quæ à ratione suscipitur de aliquâ re institutio, à definitione debet proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur. Cic. de Off. c. i. l. i.

I I.

Definitur itaque societas, quod sit contractus Juris genium, bonæ fidei; nominatus, consensu constans, quo id agitur, ut communio sit rei vel honesta negotiationis, communi lucro & damno: explicabimus nunc definitionem: Dicitur societas alio modo, consortium voluntarium: L. 52. §. 3. ff. h. t. nulla enim intelligitur societas nisi communio suscepta sit consensu & tractatu super eâ re habito. Juris genium: quia originem ex jure Gentium traxit, nam quoad formam illa juris civilis est, nihil hic obstante, quod dominia rerum jure gentium sint distincta, introductæ enim sunt societates utilitate & majore necessitate suadente bona invicem in totum vel pro parte in communione ponere, ut major possit inde & uberius redire questus, bonæ fidei: ratio est quod actio hic detur bonæ fidei; ut patet §. 28. h. de Act. nominatus: certum enim & egregium nomen ipsi datum est consensu constans; ratio est quia simulac de re five negotio contrahendo consenserint, ac convenerit inter contrahentes, societas dicitur.

I I I.

Dicitur & communio rei vel honesta negotiationis; sed ne confundatur

4 DISPUTATIO JURIDICA.

fundatur nomen *societatis* cum *communione*, distingendum hic est, quod *societas* sine *communione* nequeat esse, *communio* vero sine *societate* esse possit, & patet illa differentia duabus rationibus; *primâ*, quod alia fit *societatis* definitio, alia *communio*nis, quam, ut aperta magis ac plana sint omnia, dabitur: *communio* enim est quando illi qui rem *communem* habent, nihil agunt, sed, siue illam possideant, siue non, statim dividi perunt, & *prestationes* personales prestari. Exemplum est in legato, donatione, &c. quapropter illi focii dici nequeunt qui tali modo in *communione* incidunt, ut aperte constat ex l. 31. & seqq. ff. h. t. altera ratio est, quod diversa oritur actio, ex *communione* enim oritur actio *communi* dividendo tit. ff. com. divid. ex *societate*, actio *pro socio*. d. §. 21. J. de Act.

I V.

Dividenda autem nunc venit *societas*, quod variis fit modis; & primo quidem in *universalem*, quæ est omnium bonorum, in quam veniunt *mobilia*, *immobilia*, *presentia*, *futura*, *hereditates*, *legata* &c. l. 1. 2. 3. ff. h. t. non vero *feuda*; *feudorum* autem *fructus* venire ostendit *Wissemb. p. 1. ff. h. t.* & *singularem*, quæ est in *unâ* vel *aliâ* re, vel in *pluribus*, non autem in *omnibus*: *Simplicem*, quæ vocatur *societas* *lucris* & *damni*, atque hæc quam plurimum hodie obtinet in *pactis antenuptialibus*, occurrens in l. 7. ff. h. t. *secundo*, in *tacitam*, quæ vel fit tacito consensu, vel ex rei naturâ oritur, ut videre est in l. 4. ff. h. t. & *expressam*, quæ fit & initur *expresso consensu*. d. l. 4. ff. h. t.

V.

Sequuntur adhuc aliæ divisiones, quas etiam nostrum est hic proponere, scilicet; quod & *tertio* dividatur in *publicam*, quæ versatur circa res publicas, ut *vectigalia*, *tributa*, & fit inter *publicanos*, l. 59. & 63. ff. h. t. & *privatam*, quæ initur de rebus *privatis*, & circa eas versatur, d. l. 59. ff. h. t. *quarto*, quod fit vel *rerum*, quæ contrahitur de rebus honestè acquisitis, & profluit ex quadam sorte, ut *Vinum*, *oleum*, *frumentum*; vel *operarum*, quæ non consistit in solis rebus, sed in operâ & forte, nimirum ubi unus operam, alter pecuniam confert, nam & opera æquè ac pecunia valet, L. 1. C. h. t.

Quinto

Quinto ; in *puram* , quæ fit simpliciter. vel , *conditionalem* ; quæ fit expressâ aliquâ conditione , adeo ut *societas* nulla sit eâ conditione non existente. *Sexto* , dividitur in *perpetuam* , quæ contrahitur quamdiu socii in vivis sunt , vel *temporalem* , quæ ad tempus aliquod fit , ita ut finito tempore etiam societati finis sit , *æterna* vero societas non datur , uti constat & *L. 70. ff. h. t.*

V I.

Verfatur *societas* circa *res honestas* , non , *turpes* , *l. 57. ff. h. t. i. 1. §. 14. ff. de iust. & rat. distr.* turpium enim nulla est obligatio si honesta sit societas , lucrum & damnum cuique sociorum pro ratâ collatâ pecuniæ cadit , nisi aliud sit actum , *E. G.* si singuli æquas partes contulerunt ad societatem ineundam , quisque habebit pro datâ sorte quicquid lucri & damni provenierit ; sic etiam si unus 200 , alter 100. contulerit , atque exinde 12. Flor. lucri sint , unus 8. alter 4. habebit , sed possunt & convenisse , ut singuli haberent 6. & tunc aliud dicendum.

V I I.

Illud etiam à *societate* alienum est , quod unus lucrum solus , alter solus damnum haberet , quia talis *societas* potius *leonina* dici mereatur , *l. 29. §. 2. ff. h. t.* quam *bonæ fidei contractus* , & originem duxit à fabulâ de venatione Leonis , vaccæ , capellæ , & ovis , quam , ut elegantem ex *Prædri l. 1. f. 6.* addere hic lubet ea hæc est.

Nunquam est fidelis cum potente societas ,

Testatur hæc fabella propositum meum.

Vacca & capella , & patiens ovis injurie

Socii fuere cum Leone in Saltibus ,

Hi cum cepissent cervum vasti corporis ,

Sic est locutus , paribus factis , LEO :

Ego primam tollo , nominor quia leo ,

Secundam , quia sum fortis , tribuetis mihi ,

Tum , quia plus valeo , me sequetur tertia ,

Malo adficietur , si quis quartam tetigerit ,

Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

Vidimus modos quibus *societas* contrahitur, & circa quas res iniri possit, adjungendi sunt casus quibus finiatur. Solvitur autem quinque modis, 1. *renunciations*, 2. *morte*, 3. *publicatione bonorum*, 4. *solutio negotio*, 5. *cessione bonorum*.

IX.

Renunciatio, ut constat ex §.4. *I. b. t.* & definitur *Renunciatio* quod sit *modus legitimus solvendi societatem*, per *actum contrarium*, vel per *verba*; propriè vero nihil aliud est, quam *renunciatio*, quâ quis dicit se *nolle amplius in societate stare*; tam diu durat enim *societas*, quamdiu consensus partium perseverat, l. 5. *C. eod.* & hæc *renunciatio* aliquid singulare est in *jure societatis*, propter odium communionis, quæ solet excitare discordias. l. 77. §. 20. *ff. de leg. 2.* ad *renunciationem* autem duo requiruntur, 1. ut fiat *bonâ fide*, nec quis *malitiosè* societati renuntiet, si enim *callidè* renuntiaret, puta, si vel *hæreditatem* vel *legatum* fuerit adeptus, solus *damnum* sentiet, *lucrum* vero *communicare* tenetur, l. 71. §. 1. *ff. b. t.* 2. ut fiat hæc *renunciatio* ipsi *socio præsent*, vel *ejus procuratori*, uti aperte probat, l. 65. §. 8. *ff. b. t.*

X.

Morte finitur *societas* unius ex *sociis*, l. 4. §. 1. l. 52. *ff. b. t.* & *receditur* in hoc *contractu* à *communi modo*, quo placet ut *hæres* in eandem *obligationem*, & *idem jus*, quod *defunctus* habuit, *transcat*, l. 62. *ff. de R. I.* propter hanc *rationem*, quod in *societate* non solum *res familiaris*, sed etiam *fides* & *industria* alicujus spectetur, *qui enim societatem contrahit, certam sibi eligit personam*. §. 2. *I. b. t.* talem nempe *cujus fides* & *industria* spectata sit. Inquit *Imperator* *morte*, & intelligit tam *civili*, quam *naturali*; *civili*: ut *maximâ* & *mediâ capitis deminutione*; *maximâ*; quia *servus* quis factus *contrahere* nequit, nec *contractus* cum ipso tenet, l. 32. *ff. de R. J.* *mediâ*, quia *universa socii bona* publicantur, §. 9. *I. b. t.* & ad *fiscum* perveniunt, qui ei *succedit*. *Naturali* finitur, quia *mors* omnia solvit.

X I .

Publicatione bonorum; §. 7. *I. b. t.* nisi publicationem bonorum passus, solam contulerit operam, non vero sortem, eocasu enim non deficit societatis materia; *solutio negotio*; §. 6. *I. b. t.* societas enim ultra captum negotium nisi aliud postea conveniat, durare nequit. *Cessione bonorum*, §. 8. *I. b. t.* cum ad extremam egestatem socius pervenerit, nec unde conferat ulterius habeat, quapropter non magis bonis sublatis societati locus esse potest, quam personam sublata.

X I I .

Progrediendum nobis nunc ultimo ad actionem ex hoc contractu oriundam, & est *actio bonae fidei, personalis, civilis, utrinque directa, qua datur socio, contra Socium, ut impleatur societas, fiat communio lucri & damni, prestetur culpa, & omne id quod interest*; culpa hic intelligitur lata & levis, ratio est in *l. 5. §. 2. ff. commod. levem venire patet ex l. 79. ff. b. t.* quia hic contractus respicit causam communem, secundum *d. l. 5. §. 2.* & in hoc contractu socius non damnatur ulterius quam facere potest, uti constat ex *l. 63. pr. b. t.* ratio, quod societas contineat jus quodammodo & vinculum fraternitatis.

X I I I .

Sed ne breviores nimis simus, quam subjectæ nobis materiæ conveniat, quasdam quæstiones, non inutiles, corollariorum loco subiciemus, & primo præmittemus: *an valeat pactum ut Societas ad heredem transeat? quod negandum esse statuimus.* moti *l. 59. ff. b. t.* & *l. 35. ff. eod.* testis etiam *Hunn. in resol. l. 3. quest. 3. tract. 7.* ratio hujus evidens est ex §. 5. *l. b. t.* ubi clarè inquit Imp. quod morte socii solvatur societas, cui etiam addi posset illud. 1. *quod à socio certa tantum persona fuerit electa,* quapropter alius ipsi invito nequeat obrudi, 2. *quod Paulus Jctus proponit in l. 65. §. 5. ff. b. t. ubi nemo potest effici socius illi, cui non vult esse socius.* Quapropter ut bonis moribus contrarium hoc pactum non valet.

Aliam

X I V.

Aliam quoque, ut jucundam addemus, nimirum : *an pecunia ab uno in Societatem collata, cum alter contulerit operam, finitâ Societate communis sit, & inter socios dividatur?* a parte illorum stabimus, qui pecuniam dividendam statuunt, nec vanâ de ratione, 1. quia quicquid in societate commune est, illud eâ finitâ dividatur, atqui pecunia collata est communis, uti patet §. *ult. l. b. t.* & *l. 1. ff. b. t.* 2. quod sit servanda æqualitas in hoc contractu, quod nequaquam fieret, si pecunia non divideretur, 3. quod opera comparetur pecuniæ, uti constat ex *Thef. 5.* quæ si dividatur utrinque collata, consequens est ut etiam divisio fiat, si ab *una parte* pecunia ab *altera* opera sit data.

X V.

Ultimo subjiciemus aptam hoc loco etiam quæstionem *utrum uni ex sociis recte solvatur, & solvens liberetur?* Respondemus, quod regulariter sit affirmanda hæc positio, & locum habere hanc solutionem, si unus ex sociis specialiter ad hoc datus sit. Hæc pro instituti nostri ratione sufficiant.

